



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Ursmarvs Confess: 18. Aprilis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](#)

linque, ut aliquando cœlestibus cum sanctis potiam  
ris. Libenter igitur terrena amittamus; ut cœlestia ser-  
vamus. Tertull.

## S. U R S M A R V S CONFESS:

18. Aprilis.

*Mandatum novum do vobis, ut di-  
ligatis invicem sicut ego vos dilexi.*

Joan. cap. 13.

**Q**uo tempore mater gravem VRSMARO  
terebat uterum, veneranda fortè cani-  
tie senex per vitum adstitit, puerulumque  
manu gestatum ejus curæ commendavit.  
Excusanti annonæ difficultatem, panem can-  
didum porrexit, novo mox inter manus  
auctu grandescentem; prodigiique rationem  
ad nascituræ prolis doctrinam retulit, cùm  
annis ad multorum mortalium emolumen-  
tum amplificandam. Simul monstravit eni-  
tentem in sublime filiolum per scalam cœlo  
insertam. Præsigio fidem adstruxit vita cœ-  
lestibus, quam hominibus propior: nam  
Episcopus tempore succedente creatus, no-  
vem annis à pane humano temperavit, re-

s

liqui

liqui cibi tam modicus ut validæ membris  
vocisq; vires haud immerito miraculi  
instar obtinerent. Dæmones frequenter in-  
justâ corporum humanorum possessione de-  
jicit: metu lemurum infestas ædes aquâ lu-  
strali solvit, morbos curationum fines eges-  
sos divinâ sanatione depulit. Porrò charitas  
sevandorumq; mortalium studium in emi-  
nentissimū virtutis fastigium assurrexit, cum  
esset quotidie cujusvis hominis salutem san-  
guine vitaque recuperare paratus. Rerum  
adversarum patientia in Iobi comparationē  
evexit. Obiit anno Christi DCCVIII. de  
cœlo obtinendo solicitus imprimis, ut jam  
scalas admoveret, antequam nasceretur.

Rather, Veronense.

### M E D I T A T I O

*Diligere debemus proximum ut  
Christus dilexit nos.*

1. **C**haritas Urs mari erga proximum eo usque  
ad fastigium virtutis ascendit, ut esset pa-  
ratus quotidie salutem vilissimi ejuscanque homi-  
nis sanguine & vitâ suâ recuperare; & hæc est di-  
lectio Christi. An tu proximum amas supra com-  
moditates tuas & laboranti opitularis?
2. Christus nos amavit, cum gravius eum offend-  
eremus: ejus exemplo diligamus etiam illos, qui  
nos

280. (5\*)

nos odio habent. Facillimum est amare eos, qui bonis nos cumulant; hoc & impii, hoc Ethnici faciunt; amare inimicos Christianorum est. Examina Charitatem tuam juxta Christi dilectionem.

3. Christus nos amavit ut salvaret animā nostrā: quantum potes, idem p̄sta proximo tuo. Nihil Deo gratius & proximō utilius, quām ex amore tuum amovere fratrem ab occasionibus peccandi: Mone, argue, increpa, ora D̄um p̄ te: O felicem! Si vel unam Christo animam lucifaceres, pro cuius Redemptione preciosā vitā Christus dedit. Tam preioso munere ista Redemptio peragitur, ut homo Deum valere videatur. Hilar. Arelat.

## S. VVERNERVVS MARTYR

19. Aprilis.

Si Christi esse vis, crucifice carnem  
tuam cum vitijs & concupiscentijs.

Gal. 5.

**V**WERNERVVS rustica ex Trevirensi agro progenies, egenis comparabat paratum diurno labore obsonium; vitrici asperitatē, ipse tam miti ingenio, fugere coactus, in opiliones haud paulò mansuetiores incidit: nam mapalibus fugientem, & esurientem cænulâ exceperunt, quibus ne oneri forte hospes